Regis crimina proclamare, Epiſcopum aſſerebat caſtum, regem adulterum: Epiſcopum Chriſti timore humilem, Regem gloria regni ſuperbum: Epiſcopum ſacerdotio impollutum à Deo in poſterum præferendum: Regem auctorem ſceleris ſui velociter elidendum. Cùmque Rex, timore perculſus peteret, & puer Energumenus ab Eccleſia eiiceretur, dixit Epiſcopus. Prius illi, qui ſecuti ſunt, id eſt inceſti, homicidæ, adulteri, ab hac Eccleſia extrudantur, & tunc Deus ſilere jubebit. Et ſtatim Rex juſſit omnes hos, qui Sacerdotis ſententia damnati fuerant, egredi de Eccleſia. Quibus expulſis, juſſit Sacerdos Dæmoniacum foras extrahi: ſed cum apprehenſa columna evelli à decem viris non poſſet, Sanctus Dei ſub veſtimento ſuo, propter jactantiam videlicet evitandam: faciens Crucem, relaxari præcepit. Qui protinus corruens cum his, qui eum trahere nitebantur, poſt paululùm ſanus erectus eſt. Poſt acta ſolemnia requiſitus, nunquam reperiri potuit, nec ullus ſcivit, unde venerit, aut quo abierit. *Hæc Gregor. in vita Nicetii*, & poſt eum *Cæſar. Baron. To. 7. an. Chriſti* 530. *fol.* 146. *Annal. Eccleſiaſt.*

* Obsessionis Hujusmodi Causæ, Ac Primum In Genere.

Peccata Propria Dæmonem Alliciunt, Eaque Lethalia.

Propter peccata commiſſa plerumque hanc dęmonum carnificinam homines ſuſtinere, res eſt certa, plurimiſque exemplis firmata. Tradidit Sathanæ Corinthium quendam Paulus Apoſtolus, *Epiſt. 1. Corinth. c.* 5. propter inceſtum commiſſum.

Idem Paulus Batavæ tradidit Hymeneum, & Alexandrum hæreticos blaſphemos, 1. *Tim. c.* 1. Quæ loca quamvis intelligantur de excommunicatione in eos lata per Paulum, conſequenter tamen intelligitur, olim excommunicatos corporaliter à dæmone poſſeſſos, & divexatos, ut docent iis locis Theodoretus, & Ambroſius, qui addit hanc eſſe majorum traditionem, ut tantò magis timerent gladium excommunicationis.

Extant plura exempla hujus rei in vitis Patrum, ac nominatim in vita S. Ambroſii apud Paulinum ſcripta, ubi narratur quidam à S. Ambroſio Satanæ traditus, illico ab eodem abreptus, & diſcerptus.

Eaque de cauſa *Matthæi, c.* 10. Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem ſpirituum immundorum, tum ad eos expellendos, tum ad eos immittendum, ait S. Thomas.

De Maria Magdalena conſtat, quòd ſeptem dæmonia intra ſe habuerit, quæ Chriſtus ejecit: erat autem in civitate pęccatrix. *Marc. ult.*

Etiam D. Hieronymus in Danielem, cenſet Nabuchodonoſor à dæmone fuiſſe obſeſſum, idque ſua culpa. Quomodò & Saulem ex probata multorum ſententia.

Profana, & Hiſtorica exempla plura ſunt. Suffecerint ſequentia à Petro Thyræo, *parte* 11. *diſputat. de dęmoniacis mutuata, cap.* 29.

A Dæmone correpta Geilana Franconiæ Duciſſa, quod S. Kilianum, qui Duci, ut ipſam nempè fratris conjugem dimitteret, ſuadebat, interfici curaſſet. *Sigebert. circa annum Domini* 697.

Correptus latro, quia poſt commiſſum furtum B. Mennæ admonitiones reſpuebat, teſtis eſt *Gregor. lib.* 4. *Dialog.*

Correptus Gundericus Vvandalorum Rex, quando templum ſpoliaturus, illud ingreſſus eſt.

Ad preces S. Eligii Noviocomenſis, L. fuerunt obſeſſi, quod ejus monitis non parentes, infames choreas, impiaſque ſuperſtitiones relinquere noluiſſent, refert *Audœnus Rothomag. in vita lib.* 2. *cap.* 11.

Dæmon, qui Imperat. Gordiani filiam torquebat, rogatus à Triphone viro ſancto, cur puellam intraſſet; reſpondit; Dæmonem in illos habere poteſtatem, qui opera illis grata exercent. *Metaphraſt. in Triphone* 1. *Februarii.*

Dictis unum addimus, compendio ſupra indicatum, nunc B. Hieronymi, ex vita B. Hilarionis, verbis adſcribendum. In Gazenſis Emporii oppido, inquit, virginem Dei, vicinus juvenis deperibat. Qui cùm frequenter tactu, jocis, nutibus, ſibilis, & cæteris hujuſmodi, quæ ſolent morituræ virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet; perrexit Memphim, ut confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur poſt annum doctus ab Æſculapii vatibus, ſubter limen domus puellæ, tormenta quædam verborum, & portentoſas figuras ſculptas in æris Cyprii lamina defodit. Illicò inſanire virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad monaſterium, Seni (Hilarioni) traditur, ululante ſtatim, & confitente dæmone: vim ſuſtinui, invitus ſum adductus. Quam benè Memphis ſomniis homines deludebant? O cruces, ò tormenta, quæ prior? Exire me cogis, & ligatus ſubter limen teneor. Non ergo, niſi me adoleſcens, qui tenet, dimiſeris. Tunc ſenex, Grandis, ait, fortitudo tua; qui lino, & lamina ſtrictus teneris. Dic, quare auſus es ingredi puellam Dei, ut ſervarem, inquit, eam virginem. Tu ſervares proditor caſtitatis? cur non potius in eum, qui mittebat, es ingreſſus? ut quid? reſpondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem. Noluit autem Sanctus jubere ſigna perquiri; ne aut ipſe ſermoni ejus accommodaſſe fidem; aſſerens fallaces eſſe dæmones, & ad ſimulandum callidos. Severè autem, reddita ſerenitate, increpuit virginem, cur feciſſet talia, per quæ dæmon intrare potuiſſet. *Ita B. Hieronymus.*

Venialia.

Certum quoque, veniales culpas Dæmonibus homines ingrediendi occaſionem præbuiſſe, inquit *Caſſianus collat.* 7. *cap.* 25.

Probat hoc exemplum puellæ ſuprà allegatum ex B. Hieronymo. Alterius quoque cujus meminit Proſper Aquitanicus: quæ cùm in Balneo quoddam veneris ſimulachrum nimis impudicè intuita eſſet, ſeque eidem aſſimulaſſet; mox à Diabolo obſeſſa eſt; & ita vexata, ut nequam Spiritus gutturis meatus occuparet, facultatem ſumendi cibum, & potum ad ſeptuaginta dies adimeret. *Vide c.* 28. *Eund. Caſſianum.*

Quòd ſi de harum veniali culpa dubium eſt; certè dubium non eſt de Abbatis Moyſis, & virginis cujuſdam monialis: quorum ille, teſte Caſſiano, *lib.* 7. *Coll. cap.* 27. poſſeſſus fuit propter impatientiam, & durius prolatum verbum: hæc propter leviorem gulam, ut habet B. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. Sed exempla non noſtris, verùm ipſorum verbis aſcribamus. De Moyſe igitur ſic Caſſianus *Coll.* 7. *cap.* 27. Cùm eſſet, inquit, Moyſes ſingularis, & incomparabilis vir, ob reprehenſionem unius ſermonis, quem contra Abbatem Macharium diſputans, paulò durius protulit, quadam ſcil. opinione pręventus, tam diro confeſtim eſt traditus Spiritui, ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus, ingereret. Quod flagellum purgationis gloria ſe Dominus intuliſſe; ne ſcilicet in eo, vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis ejus, atque aucto remedio demonſtravit. Nam continuo Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, dicto citiùs nequam Spiritus ab eo fugatus abſceſſit. Hæc Caſſianus de virgine; ſequentia B. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. Quadam die, inquit, una Dei famula hortum ingreſſa, quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno Crucis benedicere oblita, avidè momordit, ſed correpta à Diabolo, protinus cecidit. Cùmque vexaretur, eidem P. Equitio ſub celeritate nunciatum eſt, ut veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque, ut hortum idem Pater ingreſſus eſt, cœpit ex ejus ore, quaſi ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat Diabolus, clamare, dicens: Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi ſuper lactucam: venit illa, & mormordit me. Cui gravi indignatione vir Dei præcepit, ut diſcederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet: qui protinus abſceſſit, nec eam ultra contingere prævaluit. Hæc Gregorius: Ex Gregorio vero *Thyręus p.* 2. *de dęmon. cap.* 30.

* Peccata Quædam In Specie,
Ob quæ Obſeſſi nonnulli à Dęmone perhibentur.

Infedelitas.

Ita docet ex Cypriano Stapletonius, *In dom.* 3. *Quadrag.* multos olim à Dæmonibus idcirco obſeſſos fuiſſe, quòd à fide receſſiſſent. Ex *Sermone de Lapſis* hoc adſcribimus exemplum. Alia, inquit, mulier in balneis conſtituta, ab immundo Spiritu immunda correpta, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impiè, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumptus eſt; in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diù ſupereſſe poſtmodum potuit; doloribus ventris, & viſcerum cruciata, defecit. Hactenus Cyprianus.

Sed & pro hoc argumento teſtis hic eſſe poteſt Nicomachus quidam, de quo *Surius Tom.* 3. *fol.* 298. quod poſtquam Chriſtum in tormentis negaſſet, & Idolis ſacrificaſſet; mox ab immundo Spiritu fuerit occupatus: à quo & in terram projectus, & miſerè dilaniatus: fuiſſe quoque Romæ magnam

Arreptitiorum multitudinem, quo tempore Paganiſmus floruit, docet *Tertullianus Apol. c.* 37.

Sacrosanctæ Eucharistiæ Abusus.

Pro hac ibidem affert exempla Cyprianus: referens & viros, & mulieres à ſpiritibus malis obſeſſos fuiſſe, quod ſine Confeſſione, atque pœnitentia peccatorum, ad menſam domini acceſſiſſent. Fortè cum his quidam Corinthiorum conjungendi ſunt, quos infirmatos, & morbis ſubjectos recenſet Apoſtolus, quod non probati Sacramentis altaris communicarent.

Blasphemia.

Hæc dæmonibus oſtium aperuit, qui Alexandrum, & Hymenæum ſunt ingreſſi. Refert quoque *Gregorius Turonenſis, de gloria Confeſſorum. c.* 67. Maurum fuiſſe, qui cùm ſervum ſuum ad Baſilicam S. Lupi (apud Tricaſſinorum Campaniæ urbem ſepultus jacet) fugientem inſequeretur, & jam eſſet aſſecutus: blaſphemias evomuerit in S. Lupum, ſed extemplò divinam ultionem ſenſerit. Nam & lingua, qua blaſphemias effudit, obriguit, & utique à Dæmone poſſeſſus, horrendo mugitu totam ædem complevit, tertiamque die, cum graviſſimo cruciatu, vitam finivit.

Addimus huic aliud, quod ex Cedreno paucis verbis repetit *Cæſar Baronius Tom.* 3. circa annum Chriſti 630. Eo tempore, inquit, Græci quidam in domo cujuſdam prandentes, eo prolapſi ſunt; ut in virginem Deiparam, convitia, & execrationes jacerent. Horum reliqui illicò à malis Spiritibus correpti, pœnas dederunt.

Eandem blaſphemiam ex aliis cauſis unam recenſet Dæmon, qui per Triphonem eſt ejectus. Certè blaſphemi digni ſunt, ut à Spiritibus blaſphemiæ occupentur.

Superbia.

Nonne convenit, ut qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, in ſuperbis ſedem habeat? in ipſos poteſtatem exerceat? Convenire docet magno ſuo malo ſuperbiſſimus Aſſyriorum Rex, Nabuchodonoſor, ut alios innumeros prætermittamus.

Ad ſuperbiam referrem, quæ ex illa ſequitur, Inobedientiam: quæ & ipſa aditum Dæmonibus præbuit. Teſtis eſt vir profeſſione religioſus, ſed moribus admodùm difficilis, quem mox Spiritus nequam ingreſſus dicitur, poſtquam Popponis Stabulenſis Abbatis ſui mandatum implere contempſit: quemadmodum in Popponis vita ſcribit *Everhelmus, Abbas Altimontenſis, c.* 18.

Luxuria.

Ob hanc Corinthius ab Apoſtolo traditus eſt Satanæ. Fortè ob eandem ſeptem dæmoniorum tyrannidem paſſa eſt Magdalena.

Ob eandem, ſi non obſeſſi, profectò interfecti viri ſeptem, qui Satan expetierunt.

Sed & puella quædam, quia impudentius Veneris ſimulacrum aſpexit, eidemque ſe conformavit, à dæmonio obſeſſa eſt: ut notavit *Proſper Aquitanicus*. Hiſtoriam ſuperiùs recenſuimus.

Et in *vita Simonis Salis*, refert Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus, quod quidam ob conſuetudinem ſtupri à Dæmone fuerit arreptus; quem Simeon inflicta alapa curaverit. Fortè hic locum habet matrona nobilis, cujus *B. Greg. l.* 1. *Dialog. c.* 10. meminit, quam Dæmon in publica ſupplicatione invaſit; quòd carnis, ut ipſe loquitur, voluptate victa à viro ſuo non abſtinuerit; quando ſequenti die oratorium S. Sebaſtiani, proceſſionem cum aliis peraſtura, intravit. Commodum dęmonum domicilium ſunt luxurioſi. Sunt enim, & dicuntur Spiritus immundi: amant loca humida; non inveniunt requiem in aridis, virtus eorum in lumbis, & umbilico. *Job.* 40.

Invidentia.

Teſtis hujus eſt primus gentis Iſacidæ Rex, Saul: qui quoniã in innocentiſſimum, optimèque de Republ. meritum Davidem ira, invidiaque flagravit; à Domini Spiritu relictus eſt, & à nequam poſſeſſus. Et ſi invidia Diaboli peccatum intravit in mundum, qui ab invidis abhorrere poſſunt Dæmones?

Avaritia.

Etiam hæc inter culpas eſt, ob quas Dæmones facilè aditum habent. Poſſet hoc forſitan recentibus, noviſque exemplis doceri, ſed his opus non eſt, cùm magnum argumentum Apoſtolus præbeat, tum, quando docet, Avaritiam eſſe Idolorum ſervitutem; tum quando aſſerit, in laqueos Diaboli, atque varias tentationes incidere, qui divitiis ſtudent, & ſectantur pecunias.

Persecutio Sanctorum.

Ob hanc à Dæmonibus obſeſſi plurimi: inter alios etiam Geilana Franconiæ Duciſſa, ob necem S. Kiliano procuratam, teſte *Sigiberto*, circa annum Domini 596. Et, quidni Diabolos ſocios habeant, & hoſpites: qui ſanctos viros dæmonum hoſtes çane pejus, & angue oderunt?

Filiorum In Parentes Impietas.

De hac unum exemplum adducimus ex Alexandro ab Alexandro. Res admiratione digna eſt, inquit *l.* 4. *Genial. dierum c.* 17. quam recenti admiratione comperimus Romæ. Quippe nota res eſt: cùm apud Gabios quidam infimæ ſortis, & obſcuris natalibus adoleſcens, veſanus, & furioſus (cujus pravi mores, & vita facinoroſa fuerat) in parentem gravibus jurgiis conviciatus foret: poſt jurgia immodica, cum furiis agitatus, advocato Dæmone, cui ſe devoverat homo ille improbus, & impurus, furore cæcus, & amens diſceſſiſſet, & Romam petere cœpiſſet, eo conſilio, ut aliquod dirum facinus in patrem moliretur; dum iter faceret, dæmonem facie hominis truculenta, ſordida barba, & capillo, veſteque obſoleta, & ſqualida obviàm habuiſſe, quo cum ſimul pergeret, illum interrogaſſe juvenem (quem animo anxio, & ſollicito videbat) quid tam triſtis incederet? atque ille, cùm quid jurgii, cum patre fuiſſet, quodque aliquid ſceleſti facinoris patrare cuperet, reſpondiſſet: Dæmonem illum ſe quoque ſimili caſu percitum fuiſſe dicere: proinde pergerent, & ſuas injurias ultum irent. Cùmque nocte appetente, ad urbem appuliſſent, in proximo hoſpitio divertiſſe, atque in cubiculum, quod à caupone utrique exhibitum fuit. Haud multò poſt cubitum iviſſe. Cùmque unà cubarent, peſtem illam immanem, cum illum ſomno oppreſſum videret, infeſtis manibus jugulum hominis apprehendiſſe, ut eliſis faucibus necaret, quem jam oppreſſiſſet, ni expergefactus ille, Dei opem, & auxilium advocaſſet: quo audito furiam illam teterrimam ſtridore, & tumultu maximo, tantoque impetu cubiculum unde evaſit, dicitur colliſiſſe, ut tigna, & tectum everterit, tegulaſque penitus perfregerit. Ita Alexander.

Sed magis ad rem facit exemplum, quod in *vita S. Parthenii* refert *Metaphraſtes.* 7. *Februarii.* Ad hunc enim cùm parentes filium ſuum, qui gravem Dæmonis carnificinam patiebatur, adduxiſſent, & pro ejuſdem incolumitate inſtantius precarentur: Sinite, dicebat Parthenius, torqueatur, parricida eſt, parentibus vobis ſæpè moleſtus fuit; & quam eidem optaſtis, juſtam ſuſtinet caſtigationem.

Et de Carolo Juniore Ludovici Germanorum Regis filio refert *Sigebertus*, circa annum Domini 872. quod à Dæmonio graviter in præſentia patris, & optimatum ejus ſit vexatus: & in vexatione confeſſus, hoc ſibi ideò contigiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

Convicia Et Jurgia.

Etiam hic aliud exemplum donat idem Alexander, quod ejuſdem quoque verbis adſcribimus. Author eſt, inquit, Thomas Monachus, homo minimè malus, cujus ego fidem, authoritatemque pluribus in rebus expertus didici: qui ſeriò mihi retulit, quòd cum in monaſterio, & ſacris ædibus, quæ in Lucanis montibus ſunt, cum pluribus jurgatus foret, & poſt immodica convicia, & rixas, animo perturbato inde ſe proriperet, cùm per nemora iter ſolus intenderet ſpeciem, hominis vultu tetro, nigra barba, promiſſis tunicis, vultu aſpectuque deformi, & ſævo obviàm habuiſſe, quem cùm compellaret, quid ipſe ſolus per devia errabundus incederet, dixit; equum, quo vectabatur, amiſiſſe, atque in proximos campos illum evaſiſſe credere: cumque per ſinus invios equum unà quæſitum pergerent; ad profluentem in cujus alveo gurgites magni, & formidabiles redundabant, deveniſſe. Et cum Monachus, ut aquam traiiceret, calceos ſibi eximere appararet, illum magnopere coegiſſe, & tandem perviciſſe, ut ſuper ſpatulas ſuas aſcenderet, potiuſque à ſe, qui corpore major erat, vectaretur, qui acquieſcens, cùm ſuper illius ſpatulas, ut ſuſtolleretur, monachus aſcenderet, illeque jam aquam ingredi appararet, dum vada exquirit, illius pedes non humana, ſed terrea, & deformi ſpecie conſpexit, quo animadverſo, horribili terrore percitus Deum, ut ſibi præſto eſſet, acclamavit. Mox dæmonem, & diram illam ſpeciem, divino audito verbo, ſtridore querulo, & vi maxima, quanta dici poteſt, ita è conſpectu abiiſſe dicit,

ut imminentem quercum ingenti impetu colliſerit, ac perfractis ramis funditus everterit. *Et hoc Alexander.*

Dei, Et Religionis Contemptus.

Pro hac re facit exemplum, quod jam ſecundò citatus affert Alexander de Juvene quodam, quem horribili ſpecie infeſtis manibus Diabolus invadere quærebat, quia, ut verbis Alexandri utar, conſtabat pravis illum moribus, & incivilibus cum Dei contemptu diù vixiſſe.

Cùm Dei, Religioniſque contemptu conjungo injuriam rebus Eccleſiæ, quæ Dei dicere poſſumus, illatam. Pro quo quamvis multa dari poſſint exempla, nobis tamen ſufficiunt duo, quæ Gregorius Turonenſis ſubminiſtrat. Refertur *lib. 3. cap.12. de rebus geſtis Francorum*, accidiſſe ſub Thodorico Francorum Rege, quod pars exercitus ejus ad Brivatenſem quandam viam inſeſſa proruperit: & quia in templo magnam hominum multitudinem cum facultatibus ſuis reſidere intellexit, ſpe prædæ, nulla templi religione prohibita, eò advolarit, vim in templum fecerit, feneſtras confregerit, populi bona diripuerit: verumtamen haud impune. Nam Rex quidem de multis juſtum ſupplicium ſumpſit: & qui primus corruptionis author fuit, manus quidem Regis, ſed non Dei effugit, ultio divina fugientem ſecuta eſt, & igne divinitus delapſo, miſerè conſumptus eſt, cætera turba, ad quam prædæ aliqua pars pervenerat, à Dæmonibus correpti diverſis, ſed miſerandis modis perierunt. Hoc primùm ex *Gregorio* exemplum.

Alterum recitat *lib.1. cap.*105. de Gloria Martyrum, hoc docet, invaſores Eccleſiæ S. Vincentii à Dæmonibus tortos expiraſſe. Erant hi de exercitu Regis Galliarum Chilperici, qui contra Gundebaldum Ducem arma ſumpſerat. Cùm verò Eccleſiam S. Vincentii, in qua plebs ſe cum rebus ſuis tutam confidebat, vallaſſent, & aditum ad illam non haberent, primùm oſtiis, templi ignem ſubiiciunt: ſed conatu irrito: mox deinde ſecuribus viam ad templum ſibi faciunt: illudque ingreſſi, omnia cæde, & rapina miſcent, ſed nec hi impunè. Alii inquit, Gregorius, à Dæmonibus correpti miſerandum ſpectaculum dederunt: alii in flumine Garumnæ necati: multi etiam à frigore occupati, diverſis in partibus diverſorum morborum genere vexati ſunt. Qui tertium exemplum ex eodem Gregorio deſiderat, legat *lib.7. hiſtor. cap.*21.

* HOMINES OB ALIORUM CULPAS NUNQUAM POSSIDERI à Dæmonibus.

Aliquando homines abſque ulla ſua culpa à Dæmonibus poſſideri, clara eſt confeſſio beatorum Auguſtini, & Hieronymi. B. Auguſtinus ſic loquitur, *lib.* 21. *de Civitate Dei cap.* 18. Grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ matrem omnium, uſque adeò impleri eſt neceſſe; ut ipſi parvuli, per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo ſolùm tenebantur vinculo, jam ſoluti multa patientes, nonnullas incurſiones Spirituum malignorum patiantur. S. Hieronymi hæc oratio eſt, *Epiſtola ad Paulam, de dormitione Bleſillæ.* Quæ cauſa eſt; inquit, ut ſæpè bimuli, trimulive, & ubera materna lactantes à Dæmonio corripiantur. Inviſibilia hæc, addit, inſcrutabili Altiſſimi judicio ſunt relinquenda.

His S. Hieronymi bimulis, & trimulis, & Auguſtini infantibus adjungimus puerum, cujus hiſtoriam ita recenſet *Surius in vita S. Bernardi lib.*2. *cap.*3. *Tom.*4. *fol.* 800. Adducebat pater filium, puerum adhuc ad S. virum, ſignificans graviter ipſum torqueri, quotieſcumque, vel Eccleſiam ingrederetur, vel aqua conſecrata adſpergeretur: vel Cruce ſignaretur: vel Evangelium audire compelleretur: vel divinis cogeretur adeſſe Sacramentis. Aſtabat tum fortè viro Sancto F. Gerardus. Hic volens experiri ejus, quod à Patre dicebatur, veritatem; occultè obſeſſum filium, in dorſo, ſigno Crucis ſignat. Quid verò? Mox puer infremuit, & latens Dæmon proditus eſt. Idem confirmat, quod refertur de Hugone, Linconienſi Epiſcopo in ejus vita, *apud Surium, Tom.*6. videlicet, quod ex obſeſſo Spiritum ejecerit, recitando initium Evangelii S. Joannis.

Pro hac re exemplum aliud ſuppeditat *B. Cyprianus, ſermo de Lapſis*, quod ipſius verbis hic adſcribimus. Præſente, ac teſte me, inquit, accipite, quid evenerit. Parentes fortè fugientes (perſecutionem intellige) dum trepidi ſibi minus conſulunt, ſub nutricis alimento parvulam Filiam reliquerunt. Relictam nutrix ad Magiſtratus detulit. Illic ei ad Idolum, quò populus confluebat (quòd carnem nec dum edere poſſet per ætatem) panem mero mixtum, quod tamen, & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater, ſed facinus puella commiſſum tum loqui, & indicare non potuit; quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, ut ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim, puella mixta cum Sanctis, precis noſtræ, & orationis impatiens; nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda jactari velut torrente cogente: quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi verò ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento Calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore, & ore violato, Euchariſtia permanere non potuit. Hactenus Cyprianus: Lege item *Bedam l.3. c.11. Hiſtor.*

Adjungimus huic puerum quoque, quem à ſæviſſimo Dæmone liberavit Beatus Macarius, *de quo Palladius in vita Macarii.*

Illum quoque, cujus in hiſtoria S. Parthenii fit mentio, in quo quamvis poſt multos annos ſe prodidit, à pueritia tamen latuit occultus Dæmon: teſte *Metaphraſte 7. Februarii.*

Præterea Toloſenſem Puellam, à qua Dæmonium expulit S. Remigius, à S. Benedicto rogatus, de qua in vita S. Remigii Hincmarus, *Apud Surium, Tom.1. fol.* 283.

Infantem quoque, Dominicum nomine, quem Bertholphus, Abbas Bobienſis, ab infeſto Spiritu liberavit, teſte Jona *in Bertolphi vita, apud Surium Tom.*4.

Denique illum, cujus meminit S. Marcus Evangeliſta, *c.*9. *hiſtoriæ Evangelicæ*, qui Dæmonis graviſſimam vexationem ab infantia ſuſtinuit, quemadmodum Pater pueri Domino interroganti eſt confeſſus.

Cùm B. Hieronymo, dictiſque exemplis conſentit D. Chryſoſtomus. Nam in libris, quos de Providentia ſcripſit, etiam in hoc divinam providentiam cognoſcit, quod Sanctiores homines aliquando Dæmones poſſideant, quos dum in peccatis volutarentur, & vitiis indulgerent, nulla adverſitas moleſtabat, qua ratione quoque Theodorum quendam, quem Dæmonium poſſidebat, conſolabatur.

Legimus Eremitam quendam à Deo poſtulaſſe, & impetraſſe; ut per menſes aliquot ejus corpus ab inhabitante Dæmonio affligeretur, propter periculum peccati, quod timebat, ſuperbiæ. Cognovit profectò vir pius, non ſemper præteritis, & commiſſis peccatis tribui Dæmonum torturam; ſed quandoque admitti, ne in peccata homines incidant, Deumque offendant. Vide *Sulpit. in vita Sancti Martini. Dialog.* I.

Quanta ſanctiſſimo Job mala attulit Diabolus, non in fortunis ſolùm, verùm etiam in corpore? An fortè ipſius culpa omnia? Sanctum, & rectum fuiſſe docet Scriptura. Et qui hæc potuit, extra Job corpus conſtitutus, Dæmon: eadem non poſſet Job inhabitans, quamvis ſine ulla Sancti viri culpa?

Imprecationes Dæmonem Advocant.

Novum non eſt à Dæmonibus poſſideri eos, quibus alii illos imprecati fuerunt. Refert Cæſarius *libro quinto cap.26.* iratum patrem filiæ quinquenni, cùm lac comederet, imprecatum eſſe, ut unà cum lacte Diabolum voraret. Vix verbum ille effatus, à Diabolico Spiritu occupatur puella, miſeramque ſervitutem, uſque ad maturam ætatem perpetitur. Similia duo idem Cæſarius habet *cap.*11. 12. *&c. ejuſdem libri*, alterum de uxore cui maritus; alterum de filio, cui pater Dæmonium imprecatus fuerat.

Et in vita S. Parthenii legitur apud *Metaphraſtem 7. Februarii*, quòd difficilem ſe oſtenderit in illo Spiritu eiiciendo, qui in immorigerum, & rebellem filium, ad juſtam parentum indignationem ingreſſus fuerat.

His quartum addimus ex vita Zenonis Martyris deſumptum: Ibi Mater, cùm febricitanti filio poculum aliquoties præbuiſſet, nec filius petere deſiſteret, impatientia victa, eidem poculum offert, & cum poculo Dæmonium imprecatur, mox ille à Dæmone miſerè cœpit torqueri. Vide *Surium 25. Maii.*

Addimus quintum celebris illius Dæmoniacæ Laudunenſis in Gallia, ann. 1566. liberatæ; & ſextum alterius Montenſis in Hannonia, ann. 1580. quæ ambæ in poteſtatem Dæmonum, mala Parentum imprecatione venerunt. Septimum licet petere ex vita *S. Reginæ Hungariæ Eliſabeth* per Jacobum Spirenſem deſcripta *c.*30.

* DÆMONUM AB ENERGUMENIS, ET LOCIS INFESTIS EXPULSIO. Ejectio. Profligatio.

ESSE IN ECCLESIA POTESTATEM Profligandi Dæmones.

Auctoritate, Et Exemplis Asseritur.

Christus Dei filius, miſſurus Apoſtolos in univerſum mundum, ut novam Evangelii lucem tenebris ignorantiæ ſubinferrent, hac etiam poteſtate illos inſtruxit, ut dæmones eiicerent. Unde *Luc.*10. apertè dicit, ſe dediſſe illis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & omnem poteſtatem inimici. Unde omnium illorum vox una erat: Domine, etiam in nomine tuo Dæmonia ſubiiciuntur nobis. *Ibidem.*

Quin non modò Apoſtolos, & Deo charos hac poteſtate uſuros prænuntiavit: ſed etiam alios, qui dicent: Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus? *Matth. c.*7. quibus tamen dicetur, *Neſcio vos.*

Apoſtolos verò uſos ſua poteſtate, conſtat ex vitis ipſorum, verùm ex Scriptura divina ſatis etiam conſtat. S. Paulus enim ejecit ſpiritum Pythonem ex puella, quæ haud modicum faciebat quæſtum ſuis divinando. *Act. c.*19.

Attactu ſudarii S. Petri profligata fuere Dæmonia. *Act. cap.*15.

Apud Judæos olim etiam fuiſſe poteſtatem in ſpiritus immundos, colligitur ex illis Chriſti verbis, quibus calumniam retorquebat Judæorum: Filii veſtri in quo eiiciunt, quia dicitis: In Beelzebub me eiicere Dæmones. *Luc. c.*11.

Confirmatur ex *Joſepho lib.8. Antiquit. c.*2. ubi dicit, Deum Salomoni hoc præſtitiſſe, ut contra Dæmones, artem ad hominum utilitatem ediſceret, & pleraque exempla ibidem adducit, de quibus infrà.

Neque ſolùm artem à Salomone acceptam Judæi adhibuerunt; ſed etiam nomen Tetragrammaton, cujus pronuntiatione admiranda multa fecerunt, teſte *Epiphanio adverſùs Ebionæos, cap.*30.

Manſiſſe autem eamdem facultatem in Eccleſia, quæ data fuit à Chriſto Apoſtolis, eamque in ſucceſſores tranſiviſſe, adeò eſt manifeſtum, ut vix ullus fuerit notæ ſanctitatis, qui vires inimici Infernalis non compeſcuerit. Cujus rei exempla abſque numero adduci poſſent, ſed cum Sanctorum vitæ illis refertæ ſint, non eſt, quòd iis immoremur. Conſtat etiam ſemper in Eccleſia conſtitutos fuiſſe Exorciſtas in hunc finem, & exorciſtarum ordinem minoribus annumerari ordinibus. Sed de illo dicemus ſuo loco. *Tit. Exorciſta, Exorciſmus.*

Cæterùm vel ipſos Infideles, teſtes hac in re fideles habemus, quod ex quo Chriſtus coli cœptus, Dæmonum vis fuerit imminuta. Habemus teſtimonium ipſius Dæmonis per ſtatuam Apollinis reſponſa negantis poſt Chriſtum natum, & dicentis Auguſto Cæſari. *apud Niceph. l.*1. *c.*17.

Me puer Hæbræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum.

Plinius narrat, Neronem nullum ex Magis toto orbe conquiſitis reſponſum extorquere potuiſſe, *libro tertio, capite ſecundo.*

Scripſit Plutarchus opuſculum de Oraculorum defectu. Idem teſtatur, quod tempore Tiberii, Pan magnus Dæmon ejularit, & obierit. Vide *Euſeb. lib. quinto de præparat. Evang. capite* 9.

Legatur etiam *Glycaſ p.*4. *annal. & Cedren. In compend. hiſt. de Juliano*, narrat quendam è Proceribus Imperatoris impii Juliani, prius impium, omnia pauperibus diſtribuiſſe, & ſub Publio monaſticen profeſſum eſſe, quòd ſciret vires monachorum adversùs Dæmones, eorumque machinationes.

Cùm ſæculi ſuperioris anno M.D.LXXX. Clerici Societatis Jeſu in Japonia Dei ſemen jacerent, confeſſi Dæmones feruntur, ſe inde compulſos fuiſſe aliò migrare. *De quo conſule Indiarum hiſtorias.*

Circa eadem tempora iidem Clerici, apud Sinas hoc ſolo titulo admiſſi feruntur, quòd in Dæmones, à quibus Sinarum incolæ miſerè vexabantur, accepiſſent à Chriſto poteſtatem.

☞ *Require titulum de Cruce, Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia.*
Item de Amuletis ſacris, Agno Dei, Aqua benedicta, &c.

* Hæretici Impotentes ad Profligandum Dæmones.

Lutherus à Dæmone, quem conabatur eiicere, in ſummas anguſtias redactus eſt, & ad alvi profluvium anno 1545. devenit: uti ſcribit tum maximus ejus ſectator Staphylus; *in abſoluta reſponſione contra Smidelinum.* & *Lindanus in Dubit. Dial.*3. *c.*1.

Neque ſecùs Parocho Lutherano eveniſſe anno 1582. Brigellis, atque æquè fruſtra in eiiciendo illo laboratum Auguſtæ Vindelicorum anno 1563. narrat *Brendebachius lib.7. Collat. cap.*42. & 43

Sed & ex ore Energumenæ Laudunenſis, tota Gallia, immò toto orbe Chriſtiano laudatiſſimæ, Caluinianos irridens Dæmon, nihil ſibi timendum ab illis clamabat cunctis audientibus, anno 1566. eò quod amici illorum eſſent, & iiſdem confœderati. Extant illius rei acta fideliter conſcripta Gallicè, & teſtatur *Fajus in Energumeno ſeu Alexiaco.*

Verè de hæreticis liceat affirmare, ut de vivis mortuos fecerunt, verba ſunt Tertulliani de iiſdem. *lib. de præſcript. cap.* ita in hominum corpora Dæmones immiſiſſe, cum Catholici hos ejecerint, & de mortuis vivos reddiderint.

* Varii Modi Profligandi Dæmones. *Ac primùm in lege Antiqua.* Judæorum.

De Salomone refert Joſephus, quòd Deus illi artem oſtenderit adversùs Dæmones, & incantationes inſtituerit, quibus fugarentur: vidiſſe autem ſe affirmat, Eleazarum quendam Judæum, præſente Veſpaſiano, ejuſque filiis, Tribunis, & exercitu, curantem eos, qui à Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ hic erat. Intulit naribus vexatorum annulum habentem ſub ſignaculo radicem à Salomone monſtratam: Deinde per nares adorantis Dæmonium abſtraxit, & repentè homo cecidit, poſteà is adjuravit, ne ampliùs rediret: Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab eo invectas recitans. Hæc Joſephus, *lib.8. Antiq. c.*2. Sunt, qui dubitent, an Salomon hac arte uſus fuerit, antequam depravatus per mulieres Idola coluit: eaque ratione ſuperſtitioſam fuiſſe adfirmant, & illicitam, ac meram impoſturam. Si verò aliter, dicendum ſit eadem uſum fuiſſe, dum adhuc Dei amicus exiſteret; tunc ex Dei inſtitutione radicibus illis vim expellendi Dæmones adſcribendam eſſe, non verò virtuti illius naturali, niſi fortè indirectè; quatenus impediunt, vel auferunt diſpoſitiones, quibus utitur Dæmon. Verbis gratia, complexionem atrabilariam, aut alium influxum aſtrorum: qualis fuit olim in Lunatico illo Evangelico juxta Originem.

Videtur etiam Davidis cythara Saulem à Dæmonio vexatum relevaſſe. 1. *Reg. c.*16. ejuſque Harmonia compulſum exire Dæmonium, vel id merito ipſius Davidis, vel ipſius Chriſti in Cruce expanſi, quem Cythara referebat, ut inſinuat *Lorinus in c.5. Actor.*

Angelus Raphael docuit Tobiam, jecore piſcis ſuper carbones poſito, fumo ſuo expellere omne genus Dæmoniorum. *Tobiæ cap.*6. 8. & 9.

Ubi iterùm exiſtimant Doctores, virtutem quandam inditam divinitùs iſti jecori, non verò fuiſſe intimam, & naturalem, niſi credamus hìc quoque interveniſſe meritum Tobiæ, & Saræ, ut cauſam moralem. Non deſunt alii, qui fumi hujus efficientiam quadantenus naturalem ad extricandos ſive à viro, ſive à fœmina Dæmones, verba ſunt ipſius Raphaelis, aſſerant. De quo vide eruditam diſputationem. *Nicolai Serrarii in Tobiam, t.8. q.2.3. &* 4.

Ethnicorum Et Magorum.

Habent inter alios errores Ethnici, & Magi varias incantationes, quibus Dæmonem alioquin voluntarium, & obſequia deferentem, eliciant, niſi dicamus, inferioris ordinis Dæmonem expelli per ſuperiorem. Hac arte, ſive incantandi ratione uſus perhibetur Apollonius Thyanæus, totque ſibi conſcivit ſequaces, ut Euſebius octo libros adversùs eum conſcripſerit.

Etiam Magi hanc adhibuere, & de quibus apud Leonem Africanum legimus, quod poſt ductos aliquot circulos, in fronte Dæmoniaci, ipſum Dæmonem expellebant. Meminit etiam aliorum Juſtinus, *orationes ad Gentiles.*

Quin olim certum genus impoſtorum circuibat urbes, & A ſuperſtitionibus quibuſdam inſtar medicorum, quos Empiricos, aut circumforaneos vocamus quæſtum faciebant, teſte *Baronio Tom.1. Annal.*

Etiam B. Gregorius refert *lib.1. Dialog.c.*10. quendam Magum adductam ad ſe fœminam à Dæmonio liberaſſe, verùm oſtium in eamdem aperuiſſe integræ legioni Dæmonum in locum iſtius, quem ejecerat.

Præter hæc, varia adhibuiſſe Gentiles, quibus hanc vim ineſſe exiſtimabant, ut applicata Dæmones fugarent, ex hiſtoriis notum eſt, quæ ſanè omnia ſuperſtitionis ſunt arguenda, quando vel ab ipſo Dæmone vim accipiunt: vel à natura contra Dæmones vim habere exiſtimantur, nullique ſpirituali rei ab Eccleſia inſtitutæ, aut probatæ conjunguntur. Ad paucas claſſes redigemus ea, quorum uſus apud Gentiles: è quibus tamen nonnulla aliquando apud Chriſtianos uſitata leguntur, ut conſtat ex libro, qui dicitur *flagellum Dæmonum, Exorciſmo 3. & 6.* ſed conjuncta cum precibus, & benedictione. Ac primùm quidem, Thymiama, alioſque odores adhibebant in ſuis Exorciſmis Gentiles, ut refert Juſtin. *Dial. cum Try-* B *phone.* Immò narrat, qui Germanicè converſus eſt Marthiolus, Hypericum herbam notiſſimam à mulieribus circum lectum puerorum accendi, ut ſpirituum injuriæ repellantur. Idem teſtatur *Lullus l.2. de quinta eſſentia.*

Herbas quoque, & Radices apud illos hanc vim habere viſæ. Meminit enim *Joſephus lib.7. de bello Jud. c.23.* radicis cui Bardas nomen, tantæ efficaciæ, ut ſtatim adhibita eiiciat Dæmones. Eſtque radix illa à Salomone inventa. De qua alio loco. Etiam Hypericon, cujus paulo ante meminimus; fugam demonum indigitabant, eamque in variis ædium partibus ſuſpendebant.

Conimbricenſes, herbæ, quam Tapſiam dicunt, eandem vim tribuunt. Eoque elogio hanc celebrant, ut ſic loquentem inducant. Eu ſum o tom, que o diabolo fuge, donde eu ſom, id eſt. Ego ſum tapſia, quæ fugo Dæmonem, inde ubi ego ſum.

Plinius Peoniam nigram Faunorum ludibriis in quiete mederi ſcribit, *l.25.c.4.*

Apud Ovidium magni muneris loco Faſtor. *6.* nonnemo alteri,

——Spinam, qua triſtes pellere poſſet
C *A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.*

De Rhamno Dioſcorides ſcribit, ramos illius valvis, atque feneſtris appoſitos, veneficiis mederi *lib.1. capite.*100. Rhamnique, & lauri ramum, idcircò Bionem præ foribus poſuiſſe, tradit Heſychius illuſtrius. Fabas nigras celebravit Antiquitas adversùs ſpectra, & improborum Spirituum robur: dum, ut in *Faſtorum libro* tegitur, eas adversùs quiſpiam jecit, &

——hæc ego mitto,
His dixit redimo, meque, meoſque fabis,

Lapides nonnullos Dæmoniis adverſari exiſtimatum Dionyſius in Periogeſi deprædicat Jaſpin, quod ſit ἐχϑιν ἐμπούσι, καὶ ἄλλοις εἰδώλοι hoc eſt inimica Empuſis, & idolis aliis.

Gladios, & Arma alii Dæmonibus opponunt, qua iiſdem terreantur: cum corpore, quod vulneri locum facere poſſit, careant. Refert Pſellus, *l. de Dæmonibus.* Atque hinc fortaſſis Scythæ acinacem pro Deo colunt, meminit etiam Hortenſis *in l.6. Æneid.* pleroſque arma Dæmonum ſpectris oppoſuiſ- D ſe, ac malè mulctatos extitiſſe.

Sunt, qui ignem iis opponebant, & lucem maximam, qua inſtar lucifugonum bubonum eos fugare arbitrabantur. Alii oſtia præcludebant, ut eos excluderent, ſed vanitatem illorum arguit Dæmonum natura, ut qui naturæ ſpiritualis obſtructa penetrant, atque omni libenter in aere volitant.

Convicia, & Maledicta olim oppoſita legimus. Quippe Apollonius Thyanæus Caucaſi juga pertranſiens, diabolicum phantaſma, quod ſeſe obiiciebat, fugavit contumelioſis verbis, ſic ut inſtar Idoli evaneſceret. narrat *Philoſtratus l.2. de legibus.*

Cæterùm ridicula hæc ſunt, & inania, ſi vera fide, & devotione deſtituuntur, cum quibus conjuncta pleraque magnum robur habere adversùs Dæmonum præſtigia, & obſidionem, docet Eccleſiæ uſus, & exorciſmorum formulæ jam olim uſu receptæ, ut quarum etiam meminit *Prudentius contra Symmachum.*

Intonat Antiſtes Domini, fuge, callide ſerpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolve latentes:
Mancipium Chriſti, fur corruptiſſime, vexas, &c.

Fuerunt, qui circulos ex creta, vel ſimili materia formarent & per circuitum cubiculi, in quo decumbebat puerpera, ducerent adversùs quævis ſpectra, ſcriberentque in parietibus cer- E ta nomina. Nonnulli Judæorum chartas habebant, quibus ex *Deut.6.* inſcribebant precationem, quæ Keriath ſchemach dicitur: eamque Tephilin vocant, quibus omnia noxia ſe fugare arbitrabantur. Auctor eſt hujus figmenti *Paraphraſtes Chaldeus in cap.9. Cantic, verſ.3.* & prioris meminit *Rabbi Elias in Thisbi.* Sed de his ſatis.

* IN LEGE EVANGELICA.

Catholicorum Modi Varii Eiiciendi Dæmones.

Deſumpti ab exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum.

Variis modis ab immundis Spiritibus liberatos homines, cùm ex Sacris litteris, tum ex hiſtoriis convincitur. Siquidem Chriſtus Dominus nunc eoſdem verbis expulit, nunc quoſdam velut exorciſmos adhibuit. Quin & ſanaturus quendam Dæmoniacum ſurdum, & mutum, primum ipſum apprehendit è turba, mox digitos in aures miſit, hinc expuit, & obſeſſi linguam F tetigit. denique in cœlum ſuſpiciens, dixit: *Ephephata*, quod eſt adaperire. *Marci c.9.*

Alibi verò tanquam præſentanea arma adversùs Dæmones oppoſuit Orationem, & Jejunium. *Luc.c.9.* dum dixit: quoddam genus Dæmoniorum eſſe, quod niſi oratione non eiicitur.

Orationem verò ſemper Eccleſia adhibet, ut per quam à Deo obtinemus, quæ vitæ noſtræ neceſſaria, aut opportuna. S. Bernardus Mediolani ſub Miſſæ ſacrificio expulit Dæmonem.

Ipſe Diabolus in Aviano filio Diodori viri conſularis clamavit, ſe incendi precibus Anatoliæ. *apud Sur. Tom.4. fol.*154.

Neque minores ſunt vires Jejunii, quod non ignorans S. Nicetius Lugdunenſis Archidiaconus, dum Romam evocatus eſſet, ut Imper. Romani filium à Dæmone liberaret, non voluit opus iſtud aggredi, niſi permitteret triduanum, cum vigiliis, & orationibus jejunium, refert *Greg.* G *Turon. de glor. Confeſſ. c.73.*

Optimè dixiſſe judicandus eſt S. Antonius: Mihi credite, fratres, pertimeſcit Sathanas piorum vigilias, orationes, jejunia, paupertatem, miſericordiam, humilitatem, ac potiſſimum ardentem in Chriſtum amorem. *ita Athanaſius in vita* Similia dixit *S. Remaculus* Epiſc. Trajecten. qui claruit ann.750. ut commemorat in vita ejuſdem *Notgerus.*

Cæterùm alios modos, & remedia juvat in medium adducere, quibus maximum præſidium adversùs Dæmonium inſultus, & manſiones attulerunt obſeſſis viri Sancti. Ac primùm occurrit.

Nominis Jesu Invocatio.

Formam, & rationem Dæmonia expellendi per nominis ſui invocationem ipſe Dominus præſcripſit, dicendo: In nomine meo Dæmonia eiicient. *Marc.ult.*

S. Paulus in nomine Jeſu præcepit Dæmonio, ut à puella exeat. *Act.cap.6.* & teſtatur Prudentius antiquus Auctor in *Apoth. cont. Judæos.*

——torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, ne fulmina verbi H
Ferre poteſt.

B. Gregor. Archimandrita teſte *Gregor. Presbytero in vita ejus apud Sur. Tom.2.* ejuſdem nominis invocatione liberavit primùm ſervum quendam ad ſe adductum: deinde Principis filiam, quæ annis 28. gravem Dæmonis carnificinam ſuſtinuerat.

De S. Sibibelto Saxonum Apoſtolo ſcribit *Marcellin. c.20.* quòd Dæmoniacum, eundem liberaturus, acceſſerit cum ſociis, & primùm quidem ſe ad orationem converterit; poſt orationem verò ad Spiritum converſus, eidem in nomine Chriſti exitum imperaverit: ille verò gravi poſt ſe relicto fœtore diſceſſerit.

De Arſacio docet *Sozomenus l.4. hiſt. cap.15.* quod obviàm habuerit furioſum Energumenum: qui gladio armatus omnes in fugam convertit: ſed ad ſaniorem mentem redierit, & ab infeſtante Spiritu ſit liberatus, Chriſti nomine, per Arſacium invocato.

Idem Chriſti nomen cum meritis, atque ſtola S. Bernardi conjunxit Pontius Abbas Bellevallenſis; & feliciter Dæmonem ab obſeſſo profligavit, qui aliis Exorciſmis adhibitis pelli A non potuit, *in vita S. Bernard. l.4. c.1.*

Nec hoc nomen neglexit Bernardus in Exorciſmo, quem collo Dæmoniacæ, à qua ſecundò Spiritum immundum ejecerat, alligavit. Sic enim is habet: in nomine Jeſu Chriſti præcipio tibi, Dæmon, ne hanc mulierem rurſus ingrediaris.

Et B. Dominicus, cùm ſub concione ejus, dæmoniaca quædam exclamaret, & præſentes omnes pertubaret: In nomine Jeſu Chriſti, facto Crucis ſigno Spiritui præcepit, ut miſeram relinqueret; quemadmodum & confeſtim reliquit. *Vide cap. 9. lib.2. vitæ ipſius.*

Eligio Epiſcopo Noviomenſi, cùm in provincia Galliæ ageret, Dæmoniacus quidam, quid hic agis, dicebat. Ille mox: In nomine Jeſu Chriſti, reſpondebat, obmuteſce, & exi ab homine. Vix verbum protulerat, & Dæmon evolarat, ita Audœnus Rhotomagenſis, *lib.2.c.21. in ejuſdem vita.*

Denique ejuſdem nominis invocatione Spiritus ejeciſſe D. Antonium, teſtatur in ipſius vita, *Athanaſius.*

Quid quod eadem uſi etiam illi, qui Chriſti doctrinam non profiterentur? vidimus, inquit S. Joannes, quendam eiicientem Dæmonia, qui non ſequitur nobiſcum. Huic adjunxero illos, B quorum Lucas, in hiſtoria Apoſtolorum, meminit, qui Judæam circuibat, & ſuper eos, qui malos Spiritus habebant, nomen Domini invocabant. Joſephum item, cujus Epiphanius meminit.

Usus Reliquiarum Sanctarum.

Altera eiiciendi Dæmones ratio eſt, applicatio ſanctarum Reliquiarum, cujus evidentia ſigna, ſunt ſudaria, & ſemicinctia, ad quorum contractum recedebant à corporibus languores, & Spiritus nequam egrediebantur. Quam etiam vim umbræ Petri tribuiſſe Deum, teſtis eſt eadem hiſtoria *Actorum c.6.* uti priùs commemoratur, *c.19.*

Neque deſunt hujus rei exempla. Refert *B. Hier. Epiſt. ad Euſtachium de vita Paulæ Romanæ*, ad ſepulchrum Elizei, Joannis Baptiſtæ, atque Abdiæ, rugire conſueviſſe, & ſibilare, & mugire Dæmones. Idem atteſtatione totius populi Mediolanenſis, fieri ad ſepulchra Prothaſii, & Gervaſii, teſtatur *B. Ambr. de Prothaſ. & Gervaſ.* Eorundem Prothaſii, & Gervaſii memoria fuit in villa Victoriana, ab Hippone regione minus C triginta millibus diſtante. Portatus eſt eò adoleſcens quidam, qui cùm in medio tempore æſtatis, equum ablueret, in fluminis gurgite Dæmonem incurrit. Ibi cùm jaceret, vel morti proximus, vel ſimillimus mortuo; tandem Dæmone fugam capiente liberatus eſt, ita *B. Auguſt. l.12. de Civit. c.8.* Nazianzenus *Orat.19.* tanquam rem omnibus manifeſtam relinquit, ad Cypriani martyris ſepulchrum Dæmonia ejecta. Plurima quoque per catenam S. Petri ejecta eſſe, docent, & teſtantur hiſtoriæ. Anno ſalut.900. accidit, ut quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo Spiritu, ſeipſum dentibus delaniaret; juſſu verò Imperatoris ad Joannem Pontificem ductus ſit; hic ut ſacram catenam attigit, erumpens nefarius Spiritus, hominem liberum reliquit. Hoc *Vincent. l.25. c.88. & Chron. Saxoniæ.*

Quibus Belgium notum eſt, non ignorant apud Gheelam Brabantiæ municipium ad ſacroſanctas D. Dympnæ Reliquias Dæmoniacos ſingularis Dei Opt. Beneficio, in hunc uſque diem liberari, inquit, *Bredenbachius lib.7. Collat. cap.37.*

Sic anno 1541. in Sicilia, in templo S. Philippi, qui S. Petri diſcipulus fuit, ducentæ propemodum fœminæ liberatæ ſunt; D & quotannis ipſo D. Philippi feſto die liberantur non pauci, quemadmodum quodam in loco refert *Thom. Fazellus.*

Gregorius Langonenſis Epiſcopus adductos ad ſe Energumenos, ſigno Crucis, & verbo curabat: ſed eo abſente multi Dæmonia ab obſeſſis, virga, quam geſtare ſolebat, pellebant: quemadmodum habet *Greg. Turonenſis in ejus vita.* Idem *Greg. l.2. miracul. c.44.* docet ad pignora S. Juliani Dæmoniacum cum vomitu ſanguinem, Dæmonemque ejeciſſe.

Sic Dæmones clamabant ſe gemino incendio torqueri, cùm S. Genovefa Reliquias S. Martini viſitaret: quia, ſcilicet, non ſancti viri Reliquias, nec S. Virginis præſentiam ferebant. *Surius Tom.1.*

Agnovit hanc Reliquiarum virtutem Pipinus, Caroli Magni parens. Cùm enim Clericum ſuum (Branco is vocabatur) à Dæmonis tyrannide cuperet abſolvi, ad SS. Reliquias ipſum deſtinavit. Nec ſpes feſellit, ſiquidem mox, ut limina Eccleſiæ S. Maximini Trevirenſis Epiſcopi attigit, curatus eſt Branco: teſte *Lupo in vita S. Maximini apud Surium Tom.3.*

Idem Lupus addit, uno, eodemque die, S. Maximini ſacro, triginta ſeptem earundem Reliquiarum beneficio à Dæmonibus eſſe liberatos, in eorumque numero fuiſſe fœminam, E quam poſt quadraginta ſeptem annorum carnificinam Sathanicam ſpiritus reliquerit; ſulphureo nidore in diſceſſu ſuo templum implens. Sequenti item anno, eodem S. Maximino ſacro die, curatos vigintiduos: tertio anno curatos tredecim.

De Reliquis S. Liborii, Epiſcopi Cenomanenſis, ſcribitur; quòd cùm anno 836. corpus ejus è tumba levarentur, transferendum Badelbornam; liberatus ſit Diaconus, quem multis annis Diabolus torſerat. In itinere verò, cùm ad ejuſdem ſacra pignora mulier obſeſſa adduceretur, cœperit horrendum in modum Dæmon mugire, ſibilare, atque aliàs ferarum beſtiarum voces edere: mox verò diſcedere coactus ſit, ubi ferettrum attigerit. Hæc apud *Surium, Tom.4. fol.*338.

De pulvere, in quem effuſa fuit aqua, qua B. Oſualdi oſſa fuerant abluta, refert Beda, *l.3. Hiſt. Angl. c.*11. quod Dæmoniacum ſanaverit; apud quem nihil profuerunt Exorciſmi.

Sic nihil proficiebatur in monaſterio Bellevallis, omnibus Exorciſmis, quos adhibebant dicti monaſterii viri religioſi: ſtola autem, qua S. Bernardus uti conſueverat, Energumeno, per Pontium loci Abbatem, admota, ſubitò Spiritum exegit, F teſte *Vuilhelmo S. Theodorici, in vita Bernardi l.4. c.1.*

De Gregorio Thaumaturgo ſcribit Gregorius Nyſſenus *in ejus vita, apud Surium, Tom.4.* quod anhelitu oris ſui velum afflarit, & obſeſſo illud imponens Dæmonem expulerit.

De Maltonio Epiſcopo teſtatur Sigebertus, qui ejuſdem vitam deſcripſit, (habetur apud *Surium, Tom.6.*) quod rogatus, ut nobilis cujuſdam filiam, quam miſerè Dæmon torquebat, curaret; projecerit in obſeſſæ collum, ſuum ſtrophiolum: & ſtatim in convicia Spiritus proruperit, & poſt potam Benedictam aquam diſceſſerit.

Sic Terentianus prætoriæ cohortis præfectus ob mortem Joannis, & Pauli Romanorum civium, quam juſſu Juliani Apoſtatæ curaverat, cùm filio à Spiritibus immundis, ſceleris patrati ultoribus, invaditur: ſed ab iiſdem liberatur, quamprimum ad Martyrum ſepulchra fuit perductus. Ita in vita Joannis, & Pauli per Terentianum ſcripta, *teſte Baronio in Martyrologio 16. Julii.*

Habet hic locum, quod de S. Bernardo refert Bernardus Bonævallenſis Abbas. Huic, cùm Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii eſſet celebraturus, puellam abducunt à Dæmonio ob- G ſeſſam, auxilium ejus implorantes. Quid Sanctus? Aquam manibus ſuis jubet ſuperinfundi, quam cùm puellæ bibendam dediſſet, mox priſtinæ ſanitati illa reſtituitur. Habet quoque locum, quod B. Auguſtinus refert, *l.22. de Civit. c.8.* ſe Mediolani domum vidiſſe, quæ à Dæmonio vexabatur, & ſuſpenſa in illa parte terræ ſanctæ, à Dæmonii infeſtatione liberata eſt. Hinc optimè B. Hieronymus, Dæmoni, qui per os Vigilantii, Reliquias contemnentis loquebatur: Tu hoc viliſſimo tortus es ſæpè pulvere.

Signi Crucis Usus.

☞ *Vide Tit. de Cruce.*

Neque novum cuipiam videri debet, per ſignum Crucis ex humanis corporibus Dæmonem profligari, cum non pauca exempla ſuppeditent SS. hiſtoriæ. Ex multis pauca adducimus Gregorius Lingovicus Epiſcopus ex Energumenis ad ſe adductis, tantùm facto Crucis ſigno jubebat Dæmonia excedere, ut loquitur *Greg. Tur. in vita Patr. c.7.* H

Eodem ſigno eadem à muliere quadam exegit Albinus Andegavenſis Epiſcopus; quemadmodum teſtatur *Vincent. l.23. cap.*243.

Scribit Epiphanius *hæreſ.* 30. Joſephum quendam nondum Chriſtianum Chriſti cruce Dæmonia ejeciſſe; & deinde Chriſtianum effectum, eodem Signo Judæorum incantationes deſtruxiſſe.

Eadem Cruce uſus eſt S. Catharina Senenſis, in illo exigendo Dæmone: qui egrediens horrendos in obſeſſi gutture excitavit tumores: ut docet *Raimundus in vita ejuſdem, apud Surium Tom.4.*

Eadem Theodorus Archimandrita; primùm in curanda Principis filia; quæ ab occulto Spiritu per annos 28. graves cruciatus ſuſtinuerat; deinde in muliere, quam Dæmon ex colle quodam egreſſus invaſerat, miſerèque torquebat, tertiò, in ſuo Oſtiario Eutychio, in cujus corpus præter brachium nihil Spiritus potuit, Cruce conatibus ejus à S. viro oppoſita. Hæc Gregorius presbyter ejus diſcipulus, in Theodori vita.

Eadem

Eadem uſus eſt B. Germanus, Pariſienſis Epiſcopus; dum A occultum quendam ex puella Dæmonem ejecit, ſiquidem mox poſt impreſſam puellæ Crucem, Spiritus per nares in ſpecie muſcæ egreſſus eſt. Vide Fortunatum Pictavorum Epiſcopum *in vita Germani cap.27.*

Eadem S. Birgitta vidua adhibuit in fœminæ cujuſdam curatione; quemadmodum Scriptor vitæ ejuſdem teſtatur apud Surium *Tom. fol.*350.

Eadem Arnoldus Sueſſionenſis Epiſcopus; quando ad ipſum perductus eſt adoleſcens Dæmoniacus, qui gravem ab integra Dæmonum legione carnificinam patiebatur: qui quamvis vix ullis vinculis potuerit conſtringi, mox tamen viſa Cruce, velut agnus, quievit, ſanctumque virum adoravit. Scripſit hoc in ejus vita *Liſiard. Sueſſionenſis Eccleſiæ Epiſc. cap.* 24.

Eadem D. Bernardus, quando ſacrificio Miſſæ inſiſtens, quotieſcumque hoſtiam ſacram Cruce ſignabat, etiam obſeſſæ mulieri Crucem impreſſit. Et tum uſus eſt, quando à puero Spiritum ejecit, qui moleſtior, & moroſior erat, tum maximè, quando ille vel Eccleſiam ingrediebatur, vel aqua benedicta aſpergebatur: vel Evangelium audire compellebatur, aut divinis in- B tereſſe ſacramentis: *Vide in vita Bernardi, cap.* 3. *lib.*2.

Eadem Mauritius Epiſcopus Andegavenſis in Dæmoniaca liberanda; quam propter ferocientem Spiritum vinculis fuit neceſſe conſtringi, teſte *Fortunato in ejus vita.*

Crucem quoque pectori obſeſſæ impreſſit S. Laurentius, Archiepiſcopus Dublinenſis: quemadmodum & ori ejuſdem infudit aquam benedictam: & poſt utrumque ad orationem converſus, Dæmonem ejecit, ita habetur *c.*28. *ejus vitæ, Tom.* 6. *apud Surium.*

Sic Patroclus, eremi cultor, plurimos Dæmoniacos curaſſe legitur, ſed ſigno Crucis, *teſte Gregorio Turonenſi in ejus vita, cap.* 19.

Idem Gregorius Turonenſis in vita Nicetii Epiſcopi Trevirenſis refert, quod ſub veſtimento ſuo (volens vitare arrogantiam) Crucem oppoſuerit Dæmoniaco, & ſic miſerum à Dæmonis vexatione liberaverit.

Mirum verò non eſt Crucis ſigno Dæmonia ex hominum corporibus pelli. Etiam extra homines conſtituta, hujus vim ferrè nequiverunt, ſi quando ipſa Chriſtianos olim aggrediebantur, & oppugnabant.

Expertus eſt vim Crucis Gregorius Neocæſarienſis; quem C ſæpè contra Dæmones his armis depugnaſſe, teſtatur *Gregor. Nyſſenus in ejus vita.*

Expertus eſt Miles Georgius, qui iiſdem ſimulachum Apollinis confregit; cùm in templum, Apollini immolaturus, juſſu Diocletiani eſſet adductus, teſte *Metaphr. in ejus vita.*

Experta S. Margareta, quæ Cruce dæmonem, in forma Draconis ſibi appropinquantem, profligavit, ut *idem Metaphraſtes* 27. *Julii ſcribit.*

Expertus Sanctiſſimus Antonius, qui hoc armorum genere, omnibus nequam Spiritibus fuit terribilis: Quemadmodum B. Hieronymus docet *in vita Pauli.*

Refert quoque *Greg. Nyſſenus in vita Neocæſarienſis*, crucis ſigno munitum exiviſſe noctu incolumem ex balneis, innumerabilia ſpectra, ex quibus nemo eorum, qui noctu intraſſet, unquam vivus exierat.

Refert *Lactantius l.*4. *c.*24. præſente Chriſtiano, qui frontem Cruce ſignaverat; Diabolum non auſum fuiſſe Imperatori reſponſum dare.

Adde, quod quamvis etiam pietatis ſtudio hæc Crucis arma D contra Dæmones non ſumerentur, Dæmones tamen afflixerint, & graviter torſerint. Notum eſt exemplum Juliani, qui dum pro Chriſtianorum conſuetudine, ipſe adjuratus Chriſtianus, ſe Cruce ſignat, dæmones, quos evocaverat, fugat. *teſte Nazianz. Oratione in Julianum.*

Sic Lucianus, Epicureus licèt, & cujuſvis Religionis illuſor tradit, Eucratem dignum fide virum, cùm annulum accepiſſet ex ferro, ut ait, ex quapiam Cruce facto, adversùs pravos dæmones redditum eſſe ſecurum. Itaque, inquit, *Ceſar. Baron. ann. Chriſti* 60. quemadmodum Judæi exorciſtæ, licèt in Jeſum Chriſtum non crederent; tamen quod ſcirent à Paulo, & aliis Chriſtianis in nomine Jeſu pelli Dæmones; & ipſi eodem nomine ad dimovendos eos, ab obſeſſis hominibus utebantur: ita Magi, quod à Chriſtianis feliciter factitari videbant, nimirum Crucis virtute eos dæmonibus imperare; & ipſi ad coercendos, cùm opus eſſet, impetus dæmonum, ſigno Crucis uti voluerunt. B. Antonius, *teſte Athanaſio in ejus vita*, contra omnes terrores, ſolo Crucis ſigno jubebat ſecuros eſſe monachos. Paulinus pro Cruce ſic cecinit, Natali 8. S. Felicis.

Nos Crucis invictæ ſignum, & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma E
Corporis: & quamquam membris videamur inermes:
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

* Damnatio.

¶ Definitio, & Etymologia.

Damnatio, Græcè κατάκρισις, dicitur. Paulus I. C. ab ademptione, & quaſi dimunitione patrimonii dictam eſſe affirmat. Damnum enim à demendo deducitur, cùm res per diminutionem redditur deterior.

Modus Damnandi Vetus.

Olim, ut obſervavit *Franciſc. Balduinus l.*4. *cap.* 7. *de edict. cont. Chriſtianos*, moris erat, ut damnati, ſive ad mortem, ſive in exilium, aut ad aliam quamcumque pœnam ſuſtinendam, ut cauſa damnationis publicè populo exponeretur, ſive in tabella, ſive voce præconis.

Exempla obvia ſunt in iis, qui propter fidem Chriſtianam F ſuppliciis fuere addicti. Quin Chriſto ipſo tradito, ut crucifigeretur, poſuit Pilatus cauſam mortis, quam paulò ante nullam ſe in eo inveniſſe pronuntiarat. In tabula ſuper caput ipſius ſcriptam Græcè, Hebraicè, & Latinè, ut toti mundo ea innoteſceret, nempè his verbis: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, ſive ut Matthæus teſtatur, *hic eſt Jeſus Rex Judæorum*. Itaque inſcriptione hac exprobrabat velut Pilatus Chriſto affectationem regni apud Judæos ſignificans, pariter ob hanc eum crucifixum. Cæſaris etiam benevolentiam ambivit, ut cujus imperium apud Judæos adversùs uſurpatores ſe tueri ſignificabat. Scripſit autem triplici illo idiomate, eo quòd Hieroſolymis præter Hebræos, plures eſſent Græci, & Latini Proſelytæ, adeòque ut præcipuè orbis nationes Crucifixionis cauſam cognoſcerent. Et quamvis Evangeliſtæ in verbis tituli hujus videantur non convenire, omnes tamen ſenſum eumdem attingunt. Joannem verò, qui omnium poſtremus ſcripſit, & crucifixionem oculis ſuis vidit, ita ſcripſiſſe, ſicut Pilatus prior ſcripſerat; teſtatur ille titulus ab Imperatrice Helena inventus, qui Romæ cum parte Crucis Dominicæ aſſervatur. Noluit autem Pilatus acquieſcere ſupplicationi Principum, qui mutari volebant inſcriptionem, dicentes: noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum G Judæorum: idque non abſque myſterio. Dum enim Pilatus gentilis Jeſum ſcripſit Regem Judæorum: quem pro Rege agnoſcere Judæi noluerunt: illud jam tum inſinuabat futurum, ut nominis ſalutiferi profeſſio, quam falſo dicti Judæi abnegarent; ad gentes credulas, veros ſcilicet Judæos, demigraret. *Ita Cornel. Janſſen. concor. Evang. c.*124. qui addit, Tituli hujus verba benè expendenda. Prima enim dictio Jeſus, quæ proprium Chriſti nomen defert, cùm Salvatorem ſignificet, totam triumphi illius continet rationem. Reliquæ verò indicant ipſum verè eſſe, quod dicitur, nempè Salvatorem, & quare? nimirum, quia Nazarenus, id eſt, floridus, & germinans: & quia Rex Judæorum. Per integritatem enim ſuam, & regalem poteſtatem eſt Salvator mundi. *Ita Janſen.* Poſt Chriſti tempora, quicumque ob fidem illius ſuppliciis addicebantur, non aliam mortis cauſam habebant, quam quòd Chriſtiani eſſent, neque alia damnationis tabulæ inſcribebatur, teſte Tertulliano, quàm *Reum eſſe Chriſtianum*. Nomen enim inquit, in nobis tantummodò damnatur, non crimen aliquod.

*Plin. l.*10. *Epiſt.*101. ſcribit ad Trajanum: Interrogavi ipſos H an eſſent Chriſtian.: confitentes iterùm, ac tertiò interrogavi, ſupplicium minatus: perſeverantes duci juſſi.

De ſanctis Martyribus Attilo, & Polycarpo nota ſunt exempla. Illi namque cum in Amphitheatro Lugdunenſi circunducerentur, prælata fuit tabula, in qua ſcriptum erat, *Hic eſt Attalus Chriſtianus*. De hoc autem cum in Aſia ad ſupplicium duceretur juſſu Præſidis, Præco clamavit: *Polycarpus Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt*, ut videre licet apud *Euſeb. l.*4. *c.*15. *& l.* 5. *c.* 1. *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.*

¶ Hieroglyphicum.

Sunt qui *telum in ſagittæ cuſpidem figuratum* damnationis ſignum eſſe autument: aut explodendum, ſummovendumque aliquod ineptè dictum in ſcriptis, id quod Ariſtarchi ſummi Grammatici judicio inter hieroglyphica receptum eſt, quod eo ille ſigno uſus ſit in adulterinis apud Homerum carminibus ſummovendis. *Val. Pier. l.* 42. *c.*18.

☞ *Vide, Judex, Judicium, Judicium Divinum, Judicium extremum.*

* Damnum

* Damnum.

A

¶ Definitio, & Etymologia.

Damnum Græcè ..... vel .... Idem eſt quod detrimentum, vel jactura: à Diminutione rei vocatum, ait *Iſidor. l.*5. *cap.*27. Differunt autem damnum, & malum, quod damnum eſt rei, malum verò hominis ipſius. Quare Terentius in Andria: *Quid feceris illi, qui dederit damnum, aut malum?* Ex Donato ſuper Terentium.

Hebr. *Nezek*, noxa, detrimentum, & convenit cum nomine *Neſchech*, morſus, *morſure*. Qui enim damno proximum afficit, belluarum in morem eum mordere videtur. Hac autem loquendi formula metaphorica uſus eſt Apoſtolus *Galat.* 5. 15.

Damni Tolerati Exempla, Et ¶ Apophthegmata.

Chilona, damnum dicebat turpi lucro ſemper præferendum eſſe: illud enim ſemel dolere, hoc autem ſemper. *Laert. l.* 1. *c.*4. *Stob. ſerm.*1.

Anaxagoras, poſt diutinam peregrinationem domum re- B verſus, cum reperiret patriam, poſſeſſioneſque deſertas: Niſi, inquit, iſta periiſſent, ego ſalvus non eſſem, quòd calamitas illum adegiſſet ad philoſophiam: rebus autem integris manſiſſet intra penates ſuos. Ita ſæpenumero proſpera ſunt homini, quæ videntur adverſa: & quod damnum putatur ingens, lucrum eſt maximum. *Laert. l.*2. *c.*3.

Rerum certè jactura fortiter ferenda eſt, cùm nihil ſine Dei nutu evenire mortalibus queat. Ad ſervandam ejuſmodi patientiam adhortabatur nos Dominus, cùm diceret: *Ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere*, ne ſcilicet, magis irrites raptorem, & in tui necem accendas. *Et qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas*, id eſt, paratus ſis potiùs damnum aliquod perpeti, quàm ut cum ſcandalo proximi repetas. *Luc. c.*6.

Quid autem Claræallenſis Abbas Bernardus? Ablata erant ducenta argenti pondo, ſibi ad impenſas conſtruendi cœnobii miſſa, quod cùm ad eum deferretur: *Gratias*, inquit, *Deo ago, quod tanto me onere levarit*. Summæ temperantiæ index ea vox, apud paucos hoc ævo recepta. *Marul. lib.*5. *Beyerl. in Apoph. Chriſtianis.*

Legimus *in Prato Spirituali*, de Sene Anonymo, quod cum C ad eum in Eremo habitantem veniſſent Latrones, & dicerent, En omnia tua tollere venimus, & ipſe, ut facerent, annuiſſet; abierunt, cuncta ſecum auferentes: advertit autem ſenex derelictum adhuc in muro pendere marſupium, ſive manticam: & inſequitur abeuntes, illo etiam, ut auferrent, prolato. Confuſi illi redeunt, & univerſa reſtituunt. *Pratum Spirituale c.*211.

Eum, qui alteri nocere cupit, ſibi ipſi priùs nocere.

Lædere qui tentas alios, quæ mittis in altum,
In caput hæc recident aſpera ſaxa tuum.
Urere quo tentas alios, hoc ureris igne,
Quodque paras aliis, hoc peris ipſe malo.
Et velut is, qui mixtum aliis lethale venenum
Inſcius ipſe bibit, fraude peritque ſua.
Aut certè inſtar apis, quæ cæco rapta furore,
Protinus ut ſtimulum fixerit, ipſa perit.
Jac. Billius in Anthologia.

☞ *Vide hujus rei exempla Tit. de Conſilio. §. Conſilium malum conſultori eſſe peſſimum, quod idem eſt, quod damnum aliis ſtructum in auctorem redundare.*

Hieroglyphicum.

D Damnum, aut jacturam veteres Ægyptii per Piſcem adumbrabant, ſive Tritonem, quem ſuperiori hominem, inferiori parte piſcem exprimebant. Ex humana quidem natura commoditatem ex piſce damna, & perniciem interpretantes. Cujus quidem poſterioris rationem non aliam exiſtimavero, quam quòd piſces in mari verſentur, quod omnia abſorbet, quæ intra ſe recipit: vel quod caro piſcium non augeat multum ſubſtantiam aliti, ſitque inter alimenta minus nutriens. *Pierius l.*31. *c.*4. *hieroglyph.*

Danorum Reges, Legiſlatores. Reſpublica.

☞ *Vide Tit. de Magiſtratu Chronologicè conſiderato.*

Deambulatio.

☞ *Require Tit. de Ambulatione. Item Titulum de corpore §. corporis totius Motus. Ibidem Obambulatio. Vide etiam Tit. de Exercitatione.*

* Debitum.

E

¶ Definitio, & Etymologia.

Debitum, Hebr. *Kab.* Ezech. 18. 7. debitum, & debitor. Item *Maſchſcheb*, à verbo *Maſchſchabs*, manum contrectavit, ut ſolent facere debitores: de qua cæremonia multis locis meminit Salomon, libro Prov. ὀφείλημα. ὀφείλω, debeo dicitur, quod obligatus ſum: quo verbo communis actio comprehenditur, ut ſentit Ulpianus, ſive civilis ſit, ſive honoraria, ſive fideicommiſſi perſecutio. Inde fit debitor, qui, ut Modeſtinus inquit, is propriè dicitur, quo invito exigi pecunia poteſt, & debitum id, quod debetur, & debitio ipſe actus. *Cicero: Perquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio, & gratiæ: nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit: quia autem debet, æs retinet alienum: Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, refert.* Debita, ex Syri ſermonis idiotiſmo pro peccatis, *Matth.* 6. 12.

☞ *Debitum aſtute differre. Quære Tit. de Contractibus, §. Creditum, debitum differre, negare, &c.*

☞ *Debitum remittere, condonare. Vide ſub Tit. de Divitiis.* F *Divitiarum acquiſitio. §. Relaxatio, Condonatio debiti, &c.*

☞ *Quære etiam ſub titulo de abſolutione. §. Ære alieno. Pleraque inſuper ſub Tit. de Liberalitate.*

¶ Exempla, Et Apophthegmata.

Philoſophus quidam Pythagoricus cum à calceatore ſibi emiſſet phecaſſia (eſt autem calceamenti id genus) non habuit pecuniam, qua ſolveret in promptu. Verùm cùm paulo poſt rediret ad tabernam, ut ſolveret ſutorem audit eundem jamjam defunctum eſſe. Gratulabundus igitur Philoſophus de lucro, pecuniam domum retulit. Poſteà cùm ſe colligeret, videt ſe malè feciſſe, arrepta igitur pecunia, ait: Tibi vivit calceator, aliis mortuus, & accedens ejus tabernam, nummos in eam proiecit, ne videretur homini etiam defuncto denegare id, quod æquo debebat jure. *Eraſ. l.*6. *Apoph. ex Senec. l.*7. *de benef.*

Phocion, cùm Athenienſes olim ſacrificia inſtituiſſent, peterentque à civibus, & unuſquiſque aliquid de ſuo ad complenda ſacrificia adderet: Phocion Athenienſis efflagitatori reſpondiſſe dicitur: Puderet, ſi vobis adderem: at huic (debitorem digito oſtendens) cui debeo jure, nihil redderem. Sunt, qui putent, ſe Deo facere rem gratam, ſi ad cultum idolorum multos conferant nummos. At Phocion, vir ſapientiſſimus, ſenſit G Deo multo gratius eſſe, ſi ſatisfacias iis, quibus debes. *Ejus autem dicterium leges apud Plut. in Græc. apoph.*

Lycurgus, aſſiduum eſſe, dignumque, cui debitum credas in opibus: at fide dignum in moribus ſitum eſſe dicebat. *Maximus ſerm.* 1. *de Virtute.*

Perſæ dicebant, duo eſſe peccata inter homines turpia: quorum primum eſt, debitorem eſſe, alterum, mentiri. Conjunxerunt autem hæc duo, ideò nimirum, quod unum raro ſit ſine altero, qui enim ære alieno obſtricti ſunt, pollicentur in dies ſe ſatisfacturos, nec tamen præſtant, quod promiſſum eſt ſemel, atque iterùm. *Herod.*

Augustus Cæsar, equite Romano quodam defuncto, compertum eſt illum tantùm habuiſſe æris alieni, ut ſummam ducenties nummum excederet: idque, dum viveret, celaverat. Cùm igitur res illius auctioni ſubiicerentur, ut ex pecunia creditoribus ſatisfieret. Auguſtus juſſit ſibi emi culcitram illius cubicularem, ac mirantibus hoc præceptum. Habenda eſt (inquit) ad ſomnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obſtrictus, ſomnum capere potuit. Nam Auguſtus ob ingentes curas, ſæpè maximam noctis partem du- H cebat inſomnem, *Macrob. l.*2. *c.*4. *Sat.*

Plutarchus, pedem, & manum, ſi computruerit, dicebat nos reſecare; & quidem data mercede: ita domum, & famulitium ſubiiciebat abiiciendum eſſe, ut ab ære alieno liberemur, hoc eſt, ut liberi fiamus. *In Moralibus.*

Ex comicis Græcis.

Λαβὼν ἀπόδος ἄνθρωπε, καὶ λήψῃ πάλιν
Reddas, quod eſt datum, ut iterum detur tibi.
Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ
Fœnus frequenter liberos ſervos facit.

S. Gregorii in moralibus, inſignis ſententia eſt:

Stultus eſt debitor, qui gaudens pecunias accipit: & tempus, quo reddere debeat, non attendit, *ibid.*

Debitores ſumus præcipuè quinque, ſcilicet, corpori, cordi, fratri, ſanctis, & mortuis. *Bern. de verb. Domini.*

* Deca-